Vk
843

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0001-6

VIII, 58.

2-749.




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0002-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0003-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0004-2

# PRODROMUS LUSATICUS
*h. e.*
INTEGRI ALICUJUS QUONDAM
*De*
# LUSATIA
Conſcripti, & publicæ Luci, cum tempore, DEO volente, atq; occaſione favente donandi Tractatûs, ejus utpote Provinciæ I. Deſcriptionem, tàm *Chorographicam*, quàm *Topographicam*. II. Hiſtoriam tàm *Veterem*, quàm *Novam*. III. Regimen tàm *Antiqvum*, quàm *Modernum*, & IV. Jura atq; Statuta Provincialia tàm *Politica*, quàm *Forenſia* exhibentis
# SYNOPSIS
*Sive*
Argumenta, ſeu Summaria, ut vulgo barbarè loqvuntur, ex ſingulis ejus Operis Capitibus ſuccinctè excerpta, & tanquam facies alicujus magni Corporis in conſpectum præmonſtrata,
*ab*
AUGUSTO ADOLPHO ab HAUGVVITZ,
Nob. Luſ.
Anno M DC LXXXIX.

---

BUDISSINÆ,
Typis ANDREÆ RICHTERI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0005-8

*GENEROSISSIMO, NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO*

DOMINO, DOMINO

# FRIDERICO ADOLPHO AB HAUGVVITZ,

*SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAX.*

AULÆ MARSCHALLO SUPREMO,

CONSILIARIO INTIMO GRAVISSIMO, AC SUMMO TRIBUTORUM PRÆFECTO &c. &c.

*PATRUELI MEO OBSEQUIOSE VENERANDO &c.*

GLORIÆ ARCHI-PRINCIPIS SAX. &

SALUTI PATRIÆ NATO

*CUJUS MUNIA, NON NISI MERITA, AUTHORITAS, NON NISI HUMANITAS*

VIRTUTI PUBLICO, MIHI PRIVATO

PATRONO,

OPTIMO MAXUMO.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0006-3

PRæteriere jā bina, & quod excurrit luſtrà
â cæpto in alma Leucorea juvenili propo-
ſito de edendo quodam Eruditionis Spe-
cimine publico ad explorandas, more Aca-
demico, ingenioli Vires & profectus, cujus
Thema (Patritio ſiquidem & nobili Pa-
triæ dulciſſimæ, *uti vocatur in l. 101. ff. de Legat. 3.* cui naſci
dicimur *l. 1. §. 15. in fin. ff. de Ventr. in bonor. poſſeſſ. mitt. l. 2. ff. de
J. & J.* Res & jura, quæ quia in iis quotidiè verſamur,
diligentius tractanda *l. 15. ff. de Liberat. Legat. l. 5. ff. de LL.*
ignorare, *ex mente Mutii* turpè eſſe ratus *l. 2. §. 43. ff. de Orig.
Jur.* Cum vel maximè etiam horum ignorantes ſcientes
præſumimur *arg. l. 11. §. 3. ff. de Inſtit. Act.*) ipſam Patriam,
decreveram, præſertim cum viderem de illa nihil quic-
quam hactenus ſcriptum ſ. memoriæ traditum, quare &
h. materiam, utpote raram, chariorem fore credidi *Nov.
105. c. 1. in fin. adde c. 24. diſt. 93.* & ob novitatem exinde ac-
ceptiorem *proem. ff. §. 3. l. 2. §. 18 C. de Vet. Jur. enucleand.* Quod-
ipſum etiam opus tanta Diligentia & alacritate, Eruditio-
nis illa Matre *arg. l. 1. C. de Tyron. l. 65. §. 3. ff. de Legat. 3. adde Can.
6. diſt. 83.* præprimis ope, atq; adminiculis Clariſſimo-
rum Autorum, quos Anteceſſorum Wittebergenſium,
inſtructiſſimæ Bibliothecæ, & curta mea Documento-
rum, & Manuſcriptorum ſupellex ſuppeditabant, ſufful-
tus, quibus etiam cum in re propria quis ne Judex *l. 7. ff.
de Contrah. Empt. & Vend. l. 30 ff de Operib. Libert. an Teſtis l. 20. ff.
de Teſt. & l. 10. C. h. T.* eſſe poſſit, libenter uſus ſum, aggreſſus
ſum ut Materia ad Diſſertationem ſaltem Academicam,
deſtinata præter opinionem inter exiguum temporis

ſpatium in integrum excreverit Tractatum qui Luſatiæ noſtræ I. DESCRIPTIONEM, tàm *Chorographicam*, quam *Topographicam*, II. HISTORIAM, tàm *veterem* quam *novam*. III. REGIMEN, tàm *antiqvum* qvam *modernum* & IV. JURA, atq; STATUTA PROVINCIALIA, tam *politica* quam *forenſia* ante oculos proponit & exhibet. Cum autem Superioris, quem Natura dedit Mandatum ſubitaneo Conſilio itinera exotica mihi imponebat præter ſpem votumq; filum abrumpere & opus jam ad Calcem ferè perductum una cum Dulciſſima Studiorum Nutrice, Academia deſerere cogebar. Redux autem ex voluntario meo, ut Imperatoris verbis *in aurea illa Aoth. hab. C. ne fil. pro patre* utar, Exilio, literaria, puta, Equeſtriq; mea peregrinatione factus, videns pretium & proemium Muſis, boniſq; literis, quorum ſcientia totus illuminatur mundus, *cit. jam Authen. elegantiſſ.* quæq; nullo æquo pretio æſtimanda *arg. l. 25. §. 11. ff. de Pet. Hæred.* eſſe hodiè tantum exiguum & talia ingenia & artes tum ſupinè negligi atq; contemni, quæ tamen omnibus Infulis eſſent exornanda, omnem de huic fœtui & literis univerſis manu admovendâ curam planè abjeci. Tempora enim hæc iniquiſſima opinionem meam in amore & honore literarum fefellére, & jamdudum me in languorem dedére, hinc merito jure perhorrui

*Late conſpicuum tollere verticem.*

Si enim aquila in nubibus, *quod Græci ajunt*, eſſem & ille

*— — merito cui doctior Orbis*
*Submiſſis ferret faſcibus Imperium.*

attamen ea propter nec dignitas nec æſtimatio mihi ulla erit cum Eruditionis & Literarum Nomen ipſum ludibrio & contemtui hodiè eſt omnibus. Scilicet in his eruditis & melioris Commatis ingeniis maximè infelici ævo, quo ægrè ſe attollunt aut exſerunt rectiores mentes, blenni ſaltem aliquot & buccones, ii puta, qui palum

non

non digni figere præ aliis in parietem, plerumq; ad honores contra præſcriptum *l 4. ff. quod vi aut clam. & l. 13 ff. de Noxial. Act.* veniunt meliora & altiora ingenia cum ipſo Reip damno *arg §. fin. proëm. Inſtit. & l. unica C. de Stud. lib.* vel planè arcentur, vel raro, imò rariſſimè exemplo ſine exemplo emergunt.

*Felix curarum cui non Heliconia cordi*
*Serta, nec imbelles Parnaſſi è vertice Laurus.*

Neronis illud votum omnibus eruditis in ore hodiè ſit: *neſcire literas.* Sed ſileo, & cum quæris liberior Cenſio hodiè odium habet linguam mordeo, nec enim dicere lubet quod ſentio, præſertim cum ſine fructu etiam id fiat. Vitia enim jam in mores mutata difficillime corrigenda *l 37. ff. de Ædilit. Edict* ſed tanquam Error communis *l. 3. ff. de Offic. Prætor. l. 3. §. 5. in fin. ff. de ſupellect.* imò tanquam altera natura *arg. l. 9. pr. ff. de lib. & Poſthum. l 3. ff. Quod cujuscunq; univerſ.* æquo animo, (id quod tamen difficillimum, juxta *l. 38. § 8. ff. ad L. Jul. de Adulter.*) ferenda, iterum: ſileo, & literis meis mihi certe in felici ſucceſſu & beatis meis tenebris omni Helena charioribus me involvo.

QUis igitur in hiſce ad veterem ſqualorem inclinantibus temporibus, in quibus diligentia contra Reſcriptum Impp. *in l. fin. 3. C. de Alluv. & palud.* damnoſa & deſidiæ pœnas contra *l. 12. in fin. Cap. depoſiti* ſoluere cogitur, laborandum? quid Speciminis ergò edendum? luteum forſitan aut bliteum, quorſum enim erudita imperitis? Invito ſanè beneficium non datur *l. 19. §. 2. ff. de Donat. l 68. ff. de R. J.* Dormiendum potius ſ. cucurbitæ pingendæ. Negligentia utpote cum negligentia compenſanda *l. 10. pr. ff. de Compenſat.* Ut navis, inquit in-


com.

comparabilis ille Belga, in Malacia hæret: ſic ingenium in hoc languore, cui melior aura non adſpirat

*— — quis virtutem amplectitur ipſam*
*præmia ſi tollas — — —*

*arg. l. 4. C. Stat. & Imag. l. eleg* 1. §. 1. *ff. de J. & J.* profectò

*Non mihi ſi cunctos Helicon indulgeat amnes*
*& ſuperet Pimplea ſitim --- ---*

guttulam unam in hoc ferreum ævum, & quod mitius metallum non ſpondet, effundam. Nihilominus tamen, cûm hiſce diebus ſupellectilem meam librariam è Muséo in Muséum transtuli, incidi ex inopinato libros diſponendo, chartas ſecernendo, & purgando in hoc olim â me concinnatum, & pro *derelicto* jam planè habitum Tractatum, ſed majori ex parte temporum injuria, & hominum incuria mutilatum, atq; in omnibus ejus partibus, præprimis autem in nono, decimo, decimo-quarto, & decimo-quinto, in quo ſubſiſtere coactus ſum, uti ſupr. dictum capite, in quibus omnibus benè multa deſiderantur, immanè quantum diſtractum, adeò certè ut quas huic fœtui olim impendi lucubrationes me ſeriò pœnituerit.

Ne itaq; quale, quale h. diligentiæ quondam meæ Academicæ ſpecimen penitus periret, ſed exiguum quoddam ejus monumentum extaret, quæ adhuc ſuperſunt capita hujus Tractatus *poſtliminiò* quaſi iterum collegi, & perlegi, & inter perlegendum ex ſingulis capitibus Contenta, ſeu ut barbarè vulgò loqvuntur, Summaria, quod idem eſt ac Argumenta, ſuccinctè excerpſi, quæ Prodromi loco in ipſius Operis (quod ipſum aliquando, ſi tanti eſt, bonis avibus prælo commiſſurus ſum) prægustum ad exploranda Lectorum, cùm æquorum, tùm iniquorum judicia heic exhibere volui, ut ita legi poſſit liber priusquam legatur i. e. paucis hiſce foliis videri, quicquid

benè

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0010-6

benè multis ſcripſi. Facilius utpote & expeditius eſt *titulos* quàm *capita* dare, *conſpectum* quàm *textum*, *Summaria* quàm *integros paragraphos*, *membra* ſcil. quam *corpus*.

Quodſi autem in hoc Prodromo pleraq; tralatitia eaq; nec commodè ſatis atq; graviter, neq; eruditè & ornatè poſita videantur, vel ideò ſaltem me Autorem veniam impetraturum confido quod opus ex quo fruſtim hæc excerpta ſunt ſummaria ipſum in Adoleſcentia mea, neſciente illa

--- -- *quid diſtent æra lupinis*

ætate, conſcriptum, tanquam meæ in Muſarum arcem collatæ primitiæ ſint, & ideò ejus Prodromum ſeu Synopſin ungues, ut cum Perſio loquor, haud ſapere poſſit demorſos, jam autem ejusmodi quoddam moliri animus mihi ſi eſſet, *maturiora* forſitan & *coctiora* (ſæpe ſcil. de Facultatibus ſuis amplius quam in his eſt ſperant homines *l.10.ff.qui & à quibus manuum §.3.Inſt.qui & à quibus cauſis non manuum*) de ingeniolo meo promittere valeo.

Penes Lectorem itaq; meum eſto Judicium an Labor h. ulteriori fama, i. e. prælo dignus, an vero idq; & mea ſententia ſilentii peplo involvendus. Nec enim vanæ alicujus gloriolæ captatio ſeu æſtuans quoddam ambitionis votum, meq; etiã ſcribendi Caçoëthes, morbus, quo hodie maxima literatorum pars laborat, me ſciolæ Eruditionis turgidum invaſit, ſed rerum pretia ſecundum veritatem ex doctrina *Pauli l.63.in pr.ff.ad L Facid & l.33.ff.ad L.Aquil.* æſtimans, extincto mihi Vanitatis illo ardore à ſedatæ quodam rationis imbre, verum, non ſimulatum juxta præſcriptum *Imp.in l.1 §.2.ff.de J.& J* affectans Philoſophiam omitto & jam dudum omiſi & omnes ſaniores mecum

--- -- *mirari beatæ*

*Fumum & opes ſtrepitumq; Romæ*

& inter illos eſſe volo

Quos

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0011-1

*Quos tulit ad Scenam ventoſo Gloria curru.*
ſed inter illos potius, quos quies habet
*Et ſecretum iter & fallentis ſemita Vitæ.*
quos
*--- non ambigui faſces, non mobile vulgus*
*non leges non caſtra tenent --- ---*

TIBI autem & PATRIÆ & FAMILIÆ NOSTRÆ ORNAMENTUM UNICUM h. Synopticum, ujus duntaxat Septimanæ laborem inſcribere & volui & debui & quidem multis, iisq; prægnantibus ex cauſis, quas inter præter Neceſſitudinis, quâ de gloriari poſſum, Vinculũ, Virtus Tua, quæ ipſam ſæculi hujus fatalem Iniquitatem ſuperavit, & jam diu pro meritum honorem tanquam debitum proemium invito extorſit, deinde obſequiũ & cultus devotus, cujus hocce exiguum DEDICATIONIS *monumentum* ingens *argumentum* eſſe debet, quo tanta TUA in excelſa illa gloriæ arce poſita merita venerari & proſequi obſtrictus ſum, haud poſtremæ fuére. Suſcipe igitur PATRONE MAGNE, tenues haſce & illimatas pagellas facili manu & dignare vel unam ſaltem horulam gravioribus tuis curis, quibus omnem tibi meritò devincis Remp. ſuffurari ac tumultuariæ huic lucubratiunculæ obiter ſaltem perluſtrandæ faventem commodare, ſic abunde fructuum ê Studiis meis ad me tranſiiſſe gloriabor & gaudebo, cum TANTO VIRO conatûs meos arriſiſſe conſtiterit, cujus unicum tantum ſuffragii punctum mihi inſtar abundatiſſimi præmii eſt. Vale VIR EXCELLENTISSIME & Principis & Patriæ bono quam diutiſſime

*Ubigaviæ ê Muſeo*
*Calendis Martiis*
*Anno 1689.*

*Nominis & Virtutis Tuæ*

*Cultor obſervantiſſimus*
AUGUSTUS ADOLPHUS ab HAUGWITZ,
Nobilis Luſatius.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0012-7

I. N. J.

I.

# ARGUMENTA

*Seu*

# SUMMARIA

Capitis primi cujus Rubrica: de Nomine, ſive: de Vocab. Luſatiæ & Lauſitz. 1. Etymologia, 2. Synonymia & 3. Orthographia.

1. A Voce incipiendum. 2. Ratio hujus Methodi. 3. in Luſatia perluſtranda primus Labor circa (1.) *Etymologiam.* 4. Difficultas circa h. ex Diverſitate orta. 5. quot Capita, tot ſententiæ. 6. Dantur in Etymorum Enucleatione qui Ingenii magis, quam Veritatis ſunt Studioſi. 7. *Sententiarum* circa h. materiam *tria* conſtituuntur *agmina.* 8. I. *Sunt* qui Originem Vocis hujus petunt *à Regionis l. Forma & Situatione.* 9. quinam hi. 10. Eorum rationes. 11. *l. qualitate.* 12. quinam. 13. Eorum argumenta. 14. Vocab. Lauſnitz unde derivetur. 15. Epicriſis Autoris, de h. prima Scriptorum ſententia quid ſtatuendum. 16.

II. *Sunt* qui *à genibus & moribus Incolarum.* 17. Fautores hujus Sententiæ. 18. Fundamenta eorum 19. alia quædam Derivatio Vocab. germ. Laußnütz. 20. Judicium Autoris de h. ſecunda Hiſtoricorum ſent. 21. III. *Sunt* qui *ab Incolis Luſatiæ primævis.* 22. Patroni hujus Sent. 23. Eorum rationes 24. explicatur locus quidam Helmoldi notabilis. 25. quarundam Familiarum nobilium Luſaticarum derivatio ſpecialis incidentèr. 26. Ultima hæc Autorum opinio, noſtrâ corroboratur. 27. Ut & aliorum Calculo. 28. Opes Luſatiæ hic non verſantur. 29. Notantur quidam minus orthodoxè h. de re ſentientes Autores. 30. Præprimis Dreſſerus. 31. Et Schikfuſius. 32. Transgreſſio ab Etymologia ad (2.) *Synonymiam Luſ.* 33. *Luſatia* olim dicta Milzavia. 34. explicatur vocis hujus Originatio ex document. antiq. 35. Milcienia. 36. loca probantia ex docum. antiq. 37. Niſim ſ. Provincia Niſana. 38. teſtimonia Autorum. 39. Wandalia das Wundland. 40. teſtim. Autorum. 41. Ager Hexapolitanus ſ. ſubſtantivè Hexapolis. 42. Ratio hujus Synonymi. 43. Transgreſſio â Synonymia ad (3.) *Orthographiam hujus vocab.* 44. varia obſervatur vocabulorum: *Luſatia* & *Luſati*, pro temporum & Autorum varietate pronunciationis & Scriptionis Inflexio. 45. *Luſatia* noſtra olim dicta: Luſnitia. 46. probatur teſtimoniis Autorum. 47. Luſniza. 48. teſtim. Autorum. 49. Luſitia. 50. teſtim. A A. 51. *Luſati* autem olim dicti: Luſici. 52. teſtim. Aut. 53. Luſuncii. 54. teſtim. A A. 55. Luſnicenſes. 56. teſtim. Aut. 57. Luzici teſtim Autor. 58. Luticenſes. 59. teſtim. A A. 60. rectius pronunciatur *Patria* noſtra: *Luſatia* & *populares* noſtri: *Luſatii ſ. Luſati.* 61. Autores nobiscum facientes. 62. rectius

ſcribi-

ſcribitur in vernacula noſtra: Laußitz quam Laußnitz.
63. Ratio & fundam. hujus Aſſertionis.

## II.
## CONSPECTUS ſeu SUMMARIA

Capitis ſecundi cujus Titulus: de Luſatiæ
1. Finibus ſ. Terminis, 2. Longitudine
& 3. Latitudine.

1. RAtio Connexionis hujus Cap. cum præcedenti. 2. *Termini* alicujus Prov. l. *naturales*, l. *artificiales*. 3. *mutabiles* hi, *immutabiles* illi. 4. Semnonum *priorum* Luſatiæ Incolarum Termini ex Tacito, Ptolomeo, Strabone, Vellejo &c. 5. Luſatiæ Termini *tunc temp.* haud diſtincti. 6. Semnonum Regiones ac limites ex Cluvero. 7. Has inter & noſtra Luſatia. 8. *Nec tempore* Sorabum & Slavorum *poſteriorum* Luſatiæ Incolarum. 9. Slavorum fines Semnonum ſuperarunt. 10. *Nec tempore* Romanorum. 11. Romani Bohemiam pro more in Provinciam nunquam redegerunt. 12. Luſatiæ Formale i. e. Limitum Luſatiæ prima Inſtitutio omninò incerta. 13. *Ad tempora* Caroli M. potiſſimùm referenda. 14. Fundamenta & Rationes hujus opinionis ex Hiſtoria petitæ. 15. ab h. Imperatore primo omnium Marchionatus & Marchiones inſtituti. 16. *Nec eo temp.* adeò accuratè diſcretæ hujus Prov. Limites. 17. Sub quarum Provinciarum nomine ac Cenſu tunc habita Luſatia. 18. Accuratiori digito quando cæpere Luſatiæ limites indicari. 19. Recenſentur Termini ipſi moderni. 20. Collatio diverſorum



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0015-3

Autorum circa eosdem. 21. Spatioſiores olim fuere; ac quidem hodiè. 22. Notatur Theodorus â Nihæm Autor quidam minùs rectè Luſatiæ terminos ponens. 23. Explicatio Terminorũ Luſ. ſpecialis & quidem. 24. I. *Orientalium, verſus Sileſiam.* 25. In Luſat. ſuper. 26. Inferiori. 27. Notatur Zeilerus & 28. Ritheimerus. 29. quidam Terminum h. geographicè loquendo, planè negant. 30. eorum Rationes. 31. quidam dubium faciunt. 32. eorum fundamenta. 33. refutantur utriq;. 34. Sorau & Triebel an Luſatiæ an Sileſiæ inſerenda? 35. Errores Tabulæ geographicæ Luſatiæ ſuperioris â Bartholomæo Sculteto Gorlicenſi-Luſato editæ. 36. II. *Septentrionalium, verſus Marchiam Brandeburgenſem.* 37. Quænam Marchiæ pars intelligenda. 38. Axiomatis, de conſtituendis Finibus ſupra in princip. hujus Cap. traditi repetitio & applicatio. 39. Quænam loca in inferiori Luſ. ad Ditionem Marchiorum Brandeburg. referantur. 40. Horum numerum quidam augent, quidam minuunt. 41. Quo pacto ad Brandeburgenſem venerint remiſſivè. 42. Controverſiæ de Feudis h. in locis ortæ. 43. III. *Occidentalium, verſus Saxoniam & Miſniam.* 44. Quænam Saxoniæ pars h. l. attingenda. 45. Quænam Miſniæ. 46. Dubium quoddam circa h. Term. 47. Luſatia olim cum Miſnia conjuncta. 48. Probatur 49. quando iterum avulſa. 50. Senfftenberg an Luſatiæ an Miſniæ accenſendum. 51. De Oppidulo Crackau in finib. ſito quædam. 52. IV. *Meridionalium, verſus ipſam Bohemiam.* 53. Terminus h. Luſ. omnium certiſſimus. 54. Luſatia Bohemiæ quondam incorporata. 55. Haud ita pridem iterum ſeparata remiſſivè. 56. Autores in conſtituendis hiſce Luſatiæ Terminis nobiscum facientes. 57. Duorum Marchionatuum

natuum Luſat. ſuperioris & inferioris Fines interni quibus â ſe invicem dividantur, quinam? 58. Moſcovia, Moßkau/ an ad. inf. an ſuper. Luſatiam referenda? 59. (2.) *Longitudo* Luſatiæ. 60. (3.) *Latitudo* ejus. 61. Joh. Boteri Itali Judicium de potentia & Incolarum frequentia Luſatiæ. 62. Longitudo & latitudo Provinciarum Moraviæ, Sileſiæ & Luſatiæ conjunctim conſideratarum. 63. Proteſtatio Autoris ſuper h. Finium Luſatiæ Deſcript. 64 Coronidis loco huic Capiti Joachimi Meiſteri Poëtæ quondam celeberrimi Verſus de Luſatia annectuntur quibus omnes Luſatiæ complexus eſt limites.

## III.

## SUMMARIA
### Capitis tertii, cujus Titulus: Quod ſit Regio Germaniæ.

1. RAtio Connexionis hujus Cap. cum præced. 2. Germania duplex: *antiqua*, *nova*. 3. l. triplex: *prima*, *media*, *recentior*. 4. *Prima* quænam dicatur? 5. an huic adſcribenda Luſatia? 6. *Media* quænam? 7. an & huic accenſenda? A. 8. Ratio & fundam. hujus Aſſertionis. 9. an ad *recentiorem* ſpectet? 10. Cluveri ſcrupulus *ſ. objectio prima* de Origine hac de re explicatur fuſius. 11. ut & perſonali illius Autoris Severini de Momzambano. 12. Allegatur locus quidam ex Goldaſto notabilis ad refellendam horum Objectionem. 13. Slavorum Conditio in Luſatia longè alia quam in Bohem. & Moravia. 14. In noſtra Luſ. exiguæ remanſere Slavorum reliquiæ. 15. quibus gentium ſ. Regnorum relinquiis æquiparandæ noſtræ? remotivè. 16. poſitivè. 17. *Objectio*

*ſecunda* de Lingua. 18. Fundamenta & Rationes hujus Objectionis. 19. refutantur prolixè. 20. germanicæ linguæ non uſus an Bohemos â gente germ. eximat. 21. german. linguæ uſus Danos & Hungaros an cum Germanis conjungat. 22. Ortelius & Zeilerus notantur Germaniam minus rectè determinantes. 23. ad dignoſcendas Germaniæ Provincias ad Incolarum & Originem & linguam conjunctim reſpiciendum. 24. Luſatorum Origo remiſſivè. 25. Slavicæ linguæ uſus in Luſatia ruſticis ſaltem ex parte familiaris. 26. Ut Siculi trilingues, ſic Ruſtici noſtri pleriq; bilingues. 27. pleriq; Nobilium Luſat. linguæ Slavonicæ, quam vulgò minus rectè Vandalicam vocamus, cum rei familiaris damno, ignari. 28. Linguæ hujus difficultas unde? 29. Linguarum diverſitas gentes ſub una eadēq; Natione unitas, moribus licet & Conſuetudinibus quibusdam diſſentientes, non dividit. 30. Integer quidam locus allegatus ex Limneo. 31. ex Conrado Celti Poët. 32. Linguæ Slavonicæ uſus ſi nec Bohemiam, in qua vernacula quaſi, multominùs Luſatiam, ubi perquam exiguus ejus Valor, è Germania exterminare ſufficit. 33. *Objectio tertia* de facta quondam Bohemorum & conſequenter etiam Luſatorum, è Civitate germ. proſcriptione. 34. Facti ſeries & fundamenta hujus Objectionis. 35. Tempore Wenceslai Imperatoris exauctorati Bohemi in Regno ſuo omnes germanos ab officiis Lege quadam excluſére. 36. quare. 37. Statutum Luſatiæ de peregrino (einem Ausländiſchen) ad officia publ. non recipiendo unde? 38. aliis quamplurimis Europæ Provinciis commune. 39. Luſati tunc temp. cum Bohemis ab Imperatoribus & Principibus Imperii omnibus honorum & bonorum poſſeſſionibus in Imp.

R.G.

R.G. jure retorſionis privati. 40. quando & quomodo iterum reſtituti. 41. plures Luſatiæ Nobiles ad Dignitates & Officia Imperii R.G. tam politica, quam Eccleſiaſtica adhibitos fuiſſe ex multorum Nobiliũ Luſat. ſtemmatum Originibus atq; Catalogis (Geſchlechts-Regiſtern) abundanter conſtare remiſſivê. 42. Secundum poſt Rationes, Authoritates ſibi vindicant locum. 43. Teſtimonia noſtram Theſin probantia quamplurima Autorum: veterum. 44. recentiorum. 45. Concluditur Sclavicæ Originis nos minimê eſſe 46. exceptis quibusdam exigui momenti Reliquiis & 47. Nomine.

IV.

## SUMMARIA

### Capitis quarti, cujus Titulus: Quod ſit Regio Saxoniæ.

1. RAtio Connexionis hujus Cap. cum præced. 2. Terra germanica diverſimode diſtribuitur. 3. Cuinam Germaniæ parti Luſatia in ſpecie accenſenda. 4. Methodus hujus Diſquiſitionis. 5. *à Semnonibus* Germaniæ, *à Slavis* Luſatiæ, *à Saxonibus* Saxoniæ profectum hujus Provinciæ vocamen. 6. Adſita olim, non inſita fuit Saxoniæ Luſatia. 7. Luſatia olim cum aliis Provinciis ſub nomine Wandaliæ comprehenſa. 8. Spangenbergers & Münſteri hac de re Opinio probatur. 9. Slavicæ gentes invaſionibus multa damna Saxonibus intulêre. 10. Carolus M. Slavorum & Vandalorum Domitor. 11. Omnium primus harum Regionum ſtatum mutare cæpit. 12. Witikindus baptizatus. 13. Slavi Saxonibus cedere coacti. 14. â Francorum Regibus 15. â Carolo M. 16. ab Impp. ſuccedaneis. 17. Sub Henrico Aucupe Duce Sax. primum inter Saxoniæ partes

cenſe-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-42349-p0019-9

cenſeri cæpit Luſatia. 18. Hiſtoricorum Conſenſus circa h. rem. 19. Henricus Auceps Imp. omnium maxime & feliciſſime Slavicas debellavit gentes. 20. Regionum & Provinciarum quas ſucceſſivè ſubegit & Imperio ſubjecit Commemoratio. 21. Luſatia noſtra ultima. 22. Saxoniæ nomen eo temp. latiſſime ſumptum. 23. Imperium R. G. quantum quantum, tunc temp nil niſi Saxonia fuit. 24. excepta Italia. 25. Luſatia etiam eo temp. h. nomen induit. 26. â potiori fit denominatio. 27. Duces Saxoniæ Henrici Aucupis Anteceſſores eundem tentarunt Conatum. 28. Sed non eadem felicitate. 29. Otto Sax. Dux Slavorum Debellator ſtrenuus. 30. Rhytmi germanici antiq. de h. Duce. 31. Cum Henrico Imp. h. in p. nemo Principum comparandus. 32. Encomium hujus Imperatoris antiquatis quibusdam germanicis rhytmis ex Spangenberg. petitis incluſum. 33. Gero ab Imp. Henrico primus Luſatiæ conſtitutus Marchio. 34. probatur Geronem h. gente Saxonum fuiſſe. 35. Notatur Fabritii Error h. de re. 36. â tempore Henrici Aucup. Witekindi Sax. Principis poſteri Luſatiam continuâ ſerie gubernarunt. 37. Usq; dum in Bohemorum. 38. Polonorum, 39. Sileſiorum, pervenit poteſtatem, remiſſivè. 40. Explicatur locus quidam Goldaſti notabilis. 41. Luſatia unum ex Feudis vexilliferis (Fahn-Lehn) Saxoniæ. 42. Utitur jure Saxonico, remiſſivè. 43. â Rationibus ad Autoritales Acceſſus. 44. Teſtimonia Autorum Luſatiam ad Saxoniam referentium quampluri-ma. 45. â *poſitivè* traditis ad *remotivè* tradenda ſ. ad ſententias contrarias. 46. (1.) quidam *Sileſiæ* partem faciunt Luſatiam. 47. Pancratii Vulturini Autoris cujusdam hac de re Verſus. 48. Ratio & fundamentum hujus

jus Sententiæ *primum.* 49. refutatur. 50. *ſecundum* 51. refutatur. 52. Crantzii & ÆneæSylvii Error ſingularis. 53. *tertium.* 54. refutatur. 55. notantur ipſi Luſati quidam huic ſententiæ adſtipulantes ſeq;Sileſios & Patriam Sileſiam,ſi Diis placet,appellantes. 56.(2.) quidam *Miſnia* vindicare Luſatiam laborant. 57. Joh. Boteri Itali inſignis Error. 58. Ratio & Fundam. hujus Sent. 59. recta ſententiã.h. via minimè incedere.60. êDiametro tamen nobis non contrariam 61. Ratio. 62. Miſnia æquè ac Luſatia ad Saxoniam ſpectare probatur. 63. In verbis ſimus faciles, in re modò ſi conveniamus.

## V.

## SUMMARIA

### Capitis quinti cujus Tit.

*De*

### DIVISIONE LUSATIÆ

*in*

### Superiorem & Inferiorem.

1. RAtio Connexionis. 2. Hujus Cap. Tractatio intricatior. 3. Minima etiam Imperia & Regg. niſi in partes diſtinctæ vix regi poſſe. 4. Luſ. dividitur in *Superiorem* & *Inferiorem.* 5. Modus hujus Diviſionis pleriſq; Regionibus & Provinciis uſitatus. 6. Exempla. 7. quando orta h. Luſ. Diſtinctio. 8. Dreſſeri Sententia h. de re. 9. Goldaſti. 10. Locus quidam ex Incorporatione Caroli IV. explicatur. 11. Conjectura noſtra de ortu hujus Diviſionis. 12. Autor hujus

jus Div. quinam? 13. *Geographica* h. Regionis Diviſio cum *Politica* hodiè conſpirare probatur. 14. Fines Superioris & Infer. Luſatiæ interni quinam remiſſivè.

## VI.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA

### Capitis ſexti cujus Tit.

*De*

### Felicitate & Proventu Regionis Luſat.

1. RAtio Connexionis hujus Cap. cum præced. 2. Omnium rerum Vices. 3. Deſcriptio ſoli germanici ex Tacito. 4. Quomodo verba Taciti de qualitate Terræ germanicæ ſucceſſivè refutata. 5. antiq. temporibus Germani Indigenæ fuere minimeque aliarum gentium hoſpitiis mixti. 6. Ratio hujus rei. 7. Poſterioribus ævis innumera populorum Colluvie Germania obruta. 8. Ratio hujus rei. 9. Germaniæ Commendatio. 10. In univerſa Germ. ſucceſſivê mutata: 1. *Terra*, 2. *Incolæ*, 3. *Religio*, 4. *Status*. 11. Terra Luſatiæ incondita olim. 12. Mutata hodiè. 13. Deſcribitur Qualitas Soli Luſatici: *in genere*. 14. *in ſpecie*: ab Ortu, Septentrione, Occaſu, Meridie & Meditullio. 15. Laudatur deniq; Terra Luſat. a Felicitate & proventu rerum neceſſariarum *in genere*. 16. *in ſpecie*: â Fertilitate & Copia *Frumenti*. 17. Teſtimonia Autorum. 18. *Armentorum*, Viehzucht. 19. Teſtimonia Autorum. 20. *Sylvarum* & Arborum frugiferarum. 21. Teſtim. Aut. 22. *Metallorum*, & quidem Auri. 23. Teſtim. Aut. 24. Ferri. 25. Teſtim. Aut. 26. *Lapidum pretioſorum*, & quidem

dem Biſaltis. 27. Teſtim. Aut. 28. Æditis. 29. Teſtim. Aut. 30. *Vini.* 31. Teſtim. Aut. 32. Vina Luſatiæ non generoſa. 33. Franciſci Fabri de Vino Gubinenſi Verſus. 34. *Cereviſiæ.* 35. Teſtim. Aut. 36. in Luſatia ubinam optima. 37. Non omnia omnis fert Tellus. 38. *Fluminum*: Flumina Luſatiæ primaria quænam? 39. Deſcribitur fl. Spreva die Spreu/ab Ortu, Progreſſu, Interitu. 40. Inundationum & Effluxuum hujus fluvii Hiſtoria. 41. an h. fl. Ptolomæi Suevus. 42. Deſcriptio fl. Niſiæ der Neuſſe ab Orig. Curſu, Fine. 43. Inundationum & Efflux. Hiſt. 44. Prov. Niſana die Neißiſche Pflege an ab h. fl. nomen? 45. Fluvii Luſat. minorum gentium quinam? 46. Deſcriptio & Itinerarium fl. Qviſſi des Qveiſſes. 47. Inundationum ejus fl. Hiſt. 48. Æmilii verſus de h. fl. 49. Deſcriptio Vitigi der Wittge. 50. Eliſtræ nigræ, der ſchwartzen Elſter. 51. *Piſcinarum.* 52. Teſtim. Aut. 53. Piſces Nobilium Luſat. aureum Vellus. 54. Luſatiæ noſtræ ad luxurioſè multa; ad bene beateq; vivendum nihil deeſſe.

## VII.

## CONTENTA ſ. SUMMARIA

Capitis ſeptimi cujus Titulus:

*De*

Incolis Luſatiæ 1. ipſis, 2. eorum Lingua, & 3. Genio.

1. RAtio Connexionis hujus Cap. cum præced. 2. Veterum Luſatiæ Incolarum nomina cum aliis Germaniæ populis Communia. 3. Aſchenatz

 pri-

primus & antiquiſſimus Celticæ Gentis Conditor. 4. Gentis germanicæ Diviſio in 5. Nationes Cardinales. 5. Ex his diverſi populi. 6 quos inter an Semnones? 7. Semnonum Origo. 8. Diſting. inter Semnones & Senones. 9. Semnones Suevorum Caput. 10. Sedes Suevorum amplæ. 11. in quæ loca & Provv. protendendæ. 12. Variorum AA. ſuper h. Collatio. 13. Cluveri laus. 14. Regg. ſub Semnonum finib. comprehenſæ. 15. An etiam Luſatia? 16. Sonnenwalde in Luſ. inf. unde nomen? 17. Certum eſt Suevos & ex iis Semnones omnium primos Luſatiam inhabitaſſe. 18 an utramq;. 19. Diſt. in ſuper. & infer. an tunc obtinuerit? 20. Dreſſeri ſing. opinio. 21. refutatur prolixè. 22. Lygiorum Sedes ad Luſatiam haud extendendæ. 23. Neq; ad Sileſiam. 24. notantur h de re Autores quamplurimi minùs rectè ſtatuentes. 25. Deciſum noſtrum. 26. Semnones unde orti. 27. Quidam â Senonibus gallicis derivant. 28. Refutantur ex Cluvero. 29. Quidam â Suevis germ. populis. 30. Hæc ſent. calculo noſtro corroboratur. 31. Refelluntur adverſarii ulterius. 32. Luſatia vetus Germaniæ Principatus. 33. Temporum â condito in Luſ. Semnonum Regno Computatio. 34. Incolarum Luſat. poſt Semnones nomina dictu difficiliora. 35 Qui populi Semnones in Luſ. exceperint 36 Sclavorum nomen generale. 37. An germani an Sarmatæ? 38. Sclavorum multæ recenſentur ex Helmoldo Nationes locis & appellationibus diſtinctæ. 39. Quæ potiſſ. eminuerint 40. Lutitii inf. Sorabi ſuper. Luſatiam occuparunt. 41. Pleræq; Luſ. Urbes nomina ſua â Slavis accepere. 42. Exempla hujus rei. 43. Idem Judicium de ſtemmatibus Nobb. Luſ. quamplur. 44. hujus rei Exempla quædam & Teſtim. AA. 45. Quas oras

Scla-

Sclavi coluerint anteq. in Luſ. venerint. 46. Quando & quomodo in Luſ. penetraverint. 47. Venedi cum Vandalis non confundendi. 48 â Venedis, non â Vandalis reliquiæ noſtræ Sclavicæ. 49. Dubravii Opinio de Syrbis. 50. Goldaſti Judicium. 51. Sent. noſtra. 52. Slavi populi inquietiſſimi. 53. Fines R. Imp. ſæpè vexarunt. 54. præpr. Saxones. 55. Bella varia has inter Nationes. 56. Carolus M. primus horum Victor. 57. â quo & noſtra Luſ. primùm ſubjugata. 58. & Witekindo Sax. Regi tradita. 59. Sæpiuſculè rebellarunt Sclavi. 60. Eorum fides haud tuta. 61. â Saxonibus demum omninò attriti. 62. quando, quibusq; auſpiciis. 63 Ex quibusdam Provv. penitùs expelli haud valuére. 64. Quas inter & noſtr. Luſ. 65. relicti quomodo habeantur. 66 Sclavus idem ac ſervus, mancipium. 67. Anacephaleoſis ſ. Repetitio hactenus dictorum. 68. Luſatia tribus vicibus ſuos mutavit Incolas. 69. Saxones cum reſiduis Sclavis hodiè Luſ. colunt. 70. Transgreditur ab Incolis ipſis ad eorum adjuncta: *mores, genium* & *Linguam*. 71. Ratio Connexionis. 72. *Semnonum* Encomia ex vet. AA. collecta. 73. Elogia *Sclavorum* ex AA. paſſim excerpta. 74. Primorum incolarum Luſ. res geſtæ magnæ quidē ſed ignotæ. 75. Rerum in Luſ. geſtarum ante Henricum Aucupem nihil quicquam memoriæ proditum 76. Ultimi moderni Luſ. Incolæ, *Saxones*, Anteceſſores ſuos antecellunt. 77. Luſatorum Laus generalis. 78. Specialis (1.) *à Religionis fervore*. 79. probatur. 80. (2) *à Literarum Cultura*. 81. Commendantur Luſatorum ingenia. 82. Gymnaſia & Lycea. 83. Catalogus Luſatorū qui literis & Eruditione claruerint ab antiquiſſ. ad noſtra usq; tempp. 84. Güntheri Ligurini verſus de Luſatis. 85. Luſatorum *mores* in Reb. publicis remiſſivè. 86 in Reb.

 priv.

priv. 87. Luſati Sileſiis maximè accedunt. 88. (3.) *à Fortitudine ſeu re militari.* 89. Divi Matthiæ Imp. h. de re Effatum. 90. Nuſquam labi conditionis divinæ proprium. 91. Nobb. Luſ. *Monomachi.* 92. Nomotheſia qualis contra h. vitium à Rectoribus Prov. dictata. 93. Excuſantur. 94. *Luxurioſi* & ultra limites hoſpitales. 95. LL. contra h. vit. latæ. 96. Wurſtreutter qui, & unde h. Phraſis. 97. Excuſantur. 98. à Nobb. ad Vulgus Transgreſſio. 99. Ruſtici Luſ. i. e. reliquiæ Sclavorum *notantur* in genere. 100. In ſpecie quod ſint ſimplices. 101. Superſtitioſi. 102. Implacabiles. 103. Naturâ ſervi. 104. Laudātur à Conſt. Veſtitus. 105. Transgreſſio à moribus ad *Linguam.* 106. Semnones germ. lingua uſi ſunt. 107. Slavorum vernacula Sclavonica fuit. 108. Lingua germ. ex Luſ. exterminata poſtliminiò iterum introducta. 109. Quando & quâ Occaſione, quibus mediis. 110. Germanorum inferiorum Dialectus, Niederdeutſch diu retinuit Luſatia. 111. Hodie Lingua Luſat. eſt bipartita. 112. Germani quali linguæ Idiomate utantur in Luſ. ſuper. 113. In Luſ. inferiori. 114. Linguæ germ. Dialectus Miſnica omnium puriſſima. 115. Sclavon. lingua ampliſſima. 116. Ruſticorum noſtrorum ling. hujus propago. 117. Quot Provv. in quibus hujus ling. uſus viget, tot Dialectus. 118. noſtra cujusnam Prov. Dialecto reſpondeat? 119. Superioris Luſ. Slavi inferioris an intelligere valeant? 120. ab Adjunctis Incolarum ad eorum *quantitatem* Tranſitus. 121. In armorum vi Civitatis potentia ſita. 122. Luſatia populoſiſſima. 123. Boteri Judicium h. de re. 124. Item Hoſmanni. 125. Luſati in militia pedeſtri excellunt. 126. Colloq. inter Carolum V. & quosdam Luſ. Nobb. de multitudine Incolarum Luſatiæ ex Hoſmanno petitum.

# VIII.

## SUMMARIA
### Capitis Octavi cujus Titulus:
### De
### Religione Luſatiæ.

1. RAtio Connexionis. 2. Nulla gens abſq; alicujus DEI Cognitione. 3. Antiquiſſimis temporibus Paganiſmo addicta Luſatia. 4. Semnonum primorum Luſ. Incolarum Idololatria. 5. Cum reliquis Gentibus Solem & Lunam adorarunt. 6. Regibus eorum inter Deos relatis humano ſanguine litarunt. 7. Slavis itidem Idololatriæ cultores. 8. Solem ſub Apollinis nomine adorarunt. 9. vocab. germ. GOtt unde dictum. 10. It. Saturnum. 11. Urnæ in Inf. Luſ. quondam repertæ. 12. Philologica quædam his de urnis. 13. ſing. opinio Incolarum ejus loci h. de re remiſſive. 14. Luſatia diu gentiliſmi Tenebris obdurata. 15. Ratio. 16. Notabilis quædam Annotatio de Vocabulo Sclavonico Boho quod illis idem eſt ac DEUS. 17. Omnes ferè gentes tacito quaſi Conſenſu DEI nomen quatuor modò literis exprimunt. 18. Quædam notatu digna de myſtico hoc Tetragrammate 19. Quando & per quos Chriſtiana Rel. in Luſ. illata 20. Quidam Rolandum nominant. 21. Teſtim. AA. 22 Quidam Ottonem Epiſcop. Papebergenſem. 23. Teſt. AA. 24. Quidam Ludovicum, Ludovici Pij filium. 25. Teſt. AA. 26 Ecclesia Niſana ab h. Imp. condita. 27. Eccleſia h. Luſatiæ vindicatur. 28 Refutantur qui ad Niſſam Neiſſe/Sileſiæ Oppid. referunt. 29. Quidam Waldemarum Brandeb. Marchionem. 30. Teſt. AA. 31 slavi converſi

verſi ſæpiſſ. defecére. 32. Ratio. 33. ſub Gerone Marchione Luſ. omnium maximè ſtabilita Relig. Chriſtiana. 34. ſtudium hujus Geronis in negotio Religionis. 35. Quãdiu Romano-Catholicæ Religioni addicta fuerit Luſ. Epiſcopatui Miſnenſi paruit. 36. Templum Budiſſ. Dominicum â quo fundatum. 37. Cuinam Epiſcopo olim ſubjectum. 38 Præpoſitus ejus unde olim electus. 39. De Capitulo Budiſſinenſi quædam. 40. De Archidiaconatu Niſicenſi qui in Eccl. Cathedrali Miſnenſi adhuc hodiè teſte Albin. ſupereſt. 41. hujus ſubjectionis ſ. Conjunctionis Eccleſiaſticæ Ratio. 42. Templ. Budiſſ. Pariochale quando & â quonam ædificatum, inſtauratum 43. Quamdiu Religionem Pontificiam profeſſi Luſati. 44. Huſſitæ ſuperiorem Luſ. in ſuas partes trahere fruſtrà conati. 45. Bellum Luſatorum cum illis ipſis. 46 Luſati â Cætu pontificioſe maturè ſejunxere. 47. Ratio. 48. Forſtenſes in Inf. Luſ. omnium primi. 49. Hiſt. hujus Rei. 50. ſecuti Gorlicenſes & Laubanenſes. 51. Hiſtoria hujus mutationis. 52. Synodus Paſtorum Gorlicii anno 1525. celebratus. 53. Hujus Synodi Decretum. 54. Utraq; Luſ. ad Miſnenſis Epiſcopi Diecœſin olim pertinuit. 55. Titulus Decani Budiſſinenſis. 56. Pontificiorum circa Reſtaurationem collapſi in Luſatia Papiſmi iteratum ſtudium. 57. Hujus Rei Exempla. 58. Miniſtri in Eccleſiâ repurganda operam navantes primi ap. Laubanenſes. 59. Gorlicenſes. 60. Zittavienſes. 61. Civium Gorlicenſium in ipſis emendatæ Religionis initiis Tumultus. 62. Mutationem Relig. diſſidia civilia comitari ſolent. 63. Ratio hujus Axiomatis. 64. ap. Budiſſinenſes. 65. Encomium Pauli Coſſilii, Theologi Budiſſ. 66. Diſp. de ſacrificio Miſſæ Budiſſæ habita 1527.

67. Religionis viciſſitudo ap. Budiſſ. usq; ad an. 1533.
68. Catalogus quorundam Miniſtrorum Verbi divini Budiſſinenſium.

## IX.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA
### Capitis noni cujus Titulus:
### *De*
### Gubernatione ſ. ſtatu Politico Luſatiæ.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA
### Proëmii hujus Capitis.

1. RAtio Connexionis. 2. Uno auſu Cap. h. abſolvi non poteſt. 3. Ratio. 4. Dividitur in certas Sectiones.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA
### Sectionis primæ.

5. REip. Luſatæ facies antiq. adcuratè haud cognoſcenda. 6. Ratio. 7. In Hiſtoricis Authoritati Scriptorum credendum. 8. Interdum etiam Conjecturis. 9. Primus Luſatiæ Dominus quis fuerit. 10 Ejus Succeſſores quinam? 11. Hiſtoricorum circa illa tempora Lacunæ. 12. Merobodus Suevorum & arcomannorum Rex. 13. Quas Provv. poſſederit. 14. An & Luſatiam? 15. Amplum huic Merobodo per continuas victorias Imperium. 16. Dominium abſolutum in Regno ſuo introducere ſategit. 17. Hoc Semnonibus ſemper exoſum. 18. Redditur ſuis inviſus. 19. Quando,

quomodo & á quo victus? 20. Harminio, ejus Succeſſori quænam Provv. adſcrib. 21. An etiam Luſatia? 22. Merobodus iterum ad priſtinum libertatem pervenit remiſſivè. 23. Monumenta Hiſtorica de Luſatia ante hæc tempp. rara. 24. Pòſt adhuc rariora. 25. Aventini aliquis locus affertur & explicatur. 26. it. Spangenbergeri. 27. Semnonum in Luſatia ultimus Rex quinam? 28. ſecundi Luſatiæ Incolæ fuere Slavi ſ. Venedi remiſſivè. 29. Hi ſuos habuére Regulos. 30. Quinam horum primi? 31. Quasnam Provv. poſt diſceſſum Semnonum occupaverint. 32. Familiæ ſ. filiorum Lechi Schema. 33. Primislaus & Caſimirus, Lechi filii Luſatiæ Reguli. 34 Reliqui quas Provv. obtinuerint. 35. De conditione horum Regulorum variæ ſententiæ. 36. Quidam A A. Imp. Romano ſubjectos credunt. 37. Quidam Poloniæ Regno. 38. Quidam abſolutè regnaſſe contendunt. 39 Raſtix Moraviæ Regulus â Ludovico Germ. R. excæcatus. 40. Obatritis ſ. Wagris etiam tales fuére Reguli ſ. Duces. 41. Die Herren von Wenden quinam? 42. Cromeri & Neugebaueri Sententiæ de Regionum inter hujus Lechi filios diſtributione. 43. Luſatiæ tum temp. Ditivoniæ nomen. 44. Temporum, quando hæc geſta, Ratio & ſupputatio. 45. Micislaus Primislai Luſ. Reguli Abnepos ſeptimus poſt Lechum Poloniæ Dux. 46. Primus Chriſtianam ſuſcepit Relig. 47. Quando & ubi baptizatus. 48. Ante h. Polonica Hiſt. certa tempp. ſupputatione caret. 49. Poloniæ eo temp. paruiſſe Luſat colligitur. 50. Diviſa tamen inter Poloniæ & Sileſiæ Principes. 51. Secus ſentientium argumenta. 52. refutantur. 53. Priſcis illis tempp. etiam Bohemiæ ſubfuit. 54. Quando ei ceſſerit. 55 Duces Bohem. Luſatiam per Caſtellaneos ſuos gubernarunt. 56. Cotbuſium horum

Caſtellaneorum ſedes. 57. locus quidam de Luzenſibus & Luczanis ex Coſma Pragenſi explicatus. 58. alius quidam de Provincia Stodor ſ. Stoderana, ex Ænea Sylvio & Cromero. 59. Tractus circa oppidum Boh. Zoticium Saatz/ totius Boh. fertiliſſimus. 60. Notatur Olomucenſis. 61. â Conjecturis ad exploratiora progrediendum. 62. liberi vixére hic locorum habitantes Sclavi. 63. ab Hildeberto & Dagoberto Regg. Franciæ primùm tributarii facti. 64. ab h. temp. usq; ad Carol. M. altum in Hiſt. h. de re ſilentium. 65. â Carolo M. omnium primo Luſatia in Prov. Imperii aſſerta. 66. an tota? 67. Hiſtoria hujus Belli ſecundum Brotufum. 68. ſecundum Cranzium. 69. ſecundum Blondum. 70. ſecundum Bonfinium. 71. ſecundum Peucerum. 72. ſecundum Abbatem Urſpergenſem. 73. ſecundum Aventinum. 74. Aventini Laus. 75. Ducum Limitaneorum, quos barbarè Marchiones vocant Origo I. â Carolo M. 76. I. ab Henrico Aucupe. 77. Modus h. Provv. regendi â ſeqq. Impp. continuatus. 78. Sorabiæ nomen generale. 79. Luſatia etiam ſub h. comprehenſa. 80. Marchionum Sorabiæ â Wittekindo Sax. R. ad Ditmarum usq; i. e. ab anno 806. usq; ad an. 959. Series. 81. circa h. temp. Luſatia ab Henrico Aucupe Imp. cum Miſnia & aliis Provv. in peculiarem Marchionatum redacta. hinc. 82. Finis hujus &. 83. Initium ſeq. ab inſtituta Luſatiæ Marchia, Sectionis.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA
### Sectionis ſecundæ Capitis hujus.

84. Veſtibulum hujus Membri altius petendum. 85. Ratio. 86. Sclavorum populorum ortus & Migrationes in genere. 87. Enumeratio gentium quas ê ſedibus ſuis ejecér

jecére. 88. Provinciarum quas occupaverint. 89. Sorabi & Venedi diſtincti populi. 90. Venedorum Nationes ſigillatim. 91. loca patria quæ tenuerint. 92. De Pomeranis & Caſſubiis quædam. 93. Venedi peculiare extruxerunt Reg. 94. ejus R. quantitas. 95. Inſigne. 96. Pomeranorum Ducum origo. 97. Quare Gryphones dicti. 98. Sclavia minor quænam, quænam major? 99. Medii inter Sorabos & Venedos Luſatii. 100. hi tres pop. partim Francorũ, partim Saxonũ arma cõtinuò exercuere. 101. Ratio. 102. quas Provv. potiſſ. petierint. 103. difficillimê repreſſi. 104. Poſt Carolum M. Henricus Auceps Imp harum gentium Victor opt. max. 105. de Imperatore h. ſcitu quædam digna. 106. Deſcriptio hujus Belli ex Recenſione multorum diverſorum Autorum. 107. Arx Brandeburgum Sedes Belli Heneti ſ. Venedi. 108. ab Henrico tandem poſt multos Clades expugnatum. 109. hujus Arcis ſitus. 110. cum Arce h. omni Regione potitus Henricus. 111. Ukrani, die Uckerwenden Venedorum Natio. 112. & hi etiam ab Henrico vectigales facti. 113. Brandeburgum iterum ad Henetos tranſit. 114. Hiſtoria hujus Defectionis juxta diverſam diverſorum Autorum mentem. 115. Quamdiu poſtmodò Henetis paruerit? 116. ab Henrico denuò eis ereptum. 117. variæ Autorum circa h. mater. ſententiæ. 118. Conciliatio eorundem. 119. Series Dominorum Brandeburg. 120. capto Brandeburgo h Imperator in Sorabos & Luſatos arma movit. 121. Arx & Urbs Miſnia in Sorabia ab eo condita. 122. Undè Urbi huic nomen? 123. Fidleri verſus h. de re. 24. notatur Cranzius. 125. Lupfurdum Ptolomæi ubi ſitum? 126. unde dictum? 127. temporum ſupputatio â condita Miſnia juxta varios Aut. 128. Domitis

Hene-

Henetis, Sorabis & Luſatis tota eorum ora in Marchias ſ. Præfecturas limitaneas diſtincta. 129. Vocab. hujus Etymologia, & Origo, ſignificatus &c. remiſſivè. 130. Enumeratio complurium Marchiarum & Marchionum. 131. hos inter & Budiſſinenſis & Gorlicenſis. 132. de Dignitate Comitum quædam remiſſivè. 133. Marchia Brandeburgenſis Henetis ab Imp. oppoſita. 134. Sigfridus quidam ei præfectus ſecundum Peucerum. 135. Variæ & Controverſæ Autorum de hoc Sigfrido ſententiæ. 136. Conciliatio quædam tentata. 137. Uſus hactenus dictorum in ſeq. monſtratus. 138. Contra Bohemos, Polonos, Sileſios, Hungaros & alias gentes ſarmaticas Miſnenſis & Luſata Marchiæ conditæ. 139. integer quidam notabilis & huc faciens locus ex Albino & Philippo Melanchthone allatus. 140. in Conſtitutione Marchiæ Luſatæ ſcriptores omnes unanimiter conſentiunt. 141. circa tempp. Conſtitutionis variant. 142. ſententiæ diverſæ h. de re. 143. Notatur præpr. Curæus. 144. Gero Luſatiæ Marchio omnium primus. 145. Notatur ipſe Goldaſtus, Schönbornerus & Maibomius. 146. Elogium hujus Geronis. 147. ab h. Gerone texitur Marchionum Luſatiæ brevis Hiſtoria ab eorum genealogia rebus cùm ab ipſis, tùm ſub ipſis in Luſatia geſtis & aliarum hiſt. monumentis usq; ad Dedonem hujus nominis primum.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA.

### Sectionis tertiæ.

148. Partitionis Ratio 149. continuatur eâ quâ inchoatus methodo Marchionum Luſaticorum Catalogus ad Conradum I. Marchionum Luſatiæ, juxta quosdam,

in ordine undec imum, juxta alios, decimum tertium.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA
### Sectionis quartæ.

150. Ratio Partitionis. 151. inceptæ Marchionum Luſat. Hiſtoriæ ad Waldemarum Brandeburgenſem usq; Continuatio.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA.
### Sectionis quintæ.

152. Ratio Partitionis. 153. Continuatio Marchionum Luſat. usq; ad Joh. Luceburgenſem.

## CONTENTA ſeu SUMMARIA.
### Sectionis ſextæ.

154. Partitionis Ratio. 155 Continuatio fili Hiſtorici usq; ad Joh. Georgium II. Electorem Sax. Marchionem eo, quo hæc ſcripſi, tempore Luſatiæ ſuper. ultimum. 156. Succinctus quidam hoc de laudatiſſimo Principe Panegyricus.

## ARGUMENTUM.
### Sectionis ſeptimæ
*& hujus Capitis ultimæ.*

157. Membr. h. conſtituit Seriem Luſatiam inferiorem Gubernantium eadem qua prior, ratione & modo conſcripta & ad Chriſtianum modernum inf. Luſatiæ Dominum usq; perducta.

## X.
## CONTENTA ſ. SUMMARIA
### Capitis decimi cujus Ti ulus:

*Impe*

Imperio Romano ſubjectum & ejus factum Feudum Luſat.

1. RAtio Connexionis hujus cap. cum præced. 2. Goldaſti Tractatus de Privilegiis R. B. Caput & Cauda hujus Diſquiſitionis. 3. Scriptoris hujus graviſſimi JCti & Poly-hiſtoris ſummi Laus. 4. Henricus Auceps Imp. cùm cæteros Sclavos, tùm etiam Luſatos Imperio R. ſubjecit. 5. Luſatia antiquiſſ. tempp. ſub nomine Milzaviæ ſ. Milcieniæ Imperii R. Feudum fuit. 6. refutantur qui ad Regionem illam Bohemiæ Miliſchau referunt vocabb. hæc. 7. Hujus Milzaviæ Fines. 8. Domini. 9. Infeudationis de Luſat. Origo atq; Inſtitutio. 10. victos atq; ſubjugatos Luſatos Imperium R. ita recognoviſſe ut in partitione inter Regg. facta ſemper Ei obvenerint qui Franciā Orientalem i. e. Germaniam ſortiebatur non v. qui Italiam ex Hiſt. probatur. 11. Luſatia immediatus primò S. R. Imperii Marchionatus. 12. Series quorundam Marchionum Luſatiam immediatè poſſidentium. 13. Eorum tunc temp. Titulus. 14. Jus & ſeſſionis & ſuffragii in Comitiis Imperii. 15. Marchionatus Luſatiæ olim ab Impp. utplur. in præmium navatæ operis in re militari benè meritis collatus. 16. Exempla hujus rei ex Hiſt. petita. 17. Luſatia tanq. Feudum Imperii R. Feloniæ in S. Cæſ. Majeſt. commiſſæ obnoxium & exinde Imperio apertum. 18. Exempla hujus Rei ex Hiſt. petita. 19. Inveſtiturarum â Diverſ. Impp. ſuper Luſatia tanq. Feud. Imperii factarum Formulæ. 20. Sicut cæteri Imperio R. G. ſubjectæ Provinciæ; ita etiam Luſatiam ad Expeditiones contra hoſtes Reip. tàm internos, quàm externos teneri probatur: (1.) Exemplis. 21. (2.) Legib. ſ. Receſſi-

ceſſibus Imperii. 22. An etiam ad Expeditionem Turcicam? Aff. 23. Ejus ad ejusmodi Expeditiones bellicas Taxa, Anſchlag in ſpecie, â multis antiquiſſ. tempp. & annis ex Matriculis Imperii: (1.) contra Huſſitas. 24. (2.) contra Turcas. 25. Quomodo hodierno tempore h. in paſſu cum Luſatia noſtra comparatum. 26. creſcente Huſſitarum Religione Bohemi ab Imperio R. ſe eximere conati. 27. Luſati in Huſſitarum partes tranſire nolentes non ita uti Bohemi ab Imperio avulſi. 28. pari jure quo ipſum Bohemiæ Reguum etiam incorporatæ Provinciæ, quas inter & Luſatia noſtra fuit, Imperio R. nexæ. 29. In Comitiis Norimbergenſ. an. 1356. utraq; Luſatia quidem Boh. Regno incorporata cum Clauſula tamen ſalutari: *ſalvo Imperi R. jure.* 30. Quemadmodum Regg. Bohem. *olim* ſic Duces Sax. *hodiè* Luſatiam ſolent recipere in Feudum. 31. Luſatia unum ex Feudis vexilliferis Saxoniæ, remiſſivè. 32. in Fine h. capitis producuntur Teſtimonia quorundam Autorum Theſin h. noſtr. luculentèr comprobantia, præpr. elegantiſſima quædam loca ex celeberrimi Conringi aureo Tractatu de Finib. Imp. it. ex Bodino, Knipſchildio &c.

## XI.
## CONTENTA ſeu SUMMARIA

Capitis undecimi cujus Tit.
Cum Feudum fuit Imperii Rom. perpetuò ferè adhæſit Bohemiæ Regno.

1. RAtio Connexionis hujus cap. cum præced. 2. Quamdiu proprios habuerit Marchiones Luſatia. 3. Terra Luſat. *primò* Bohemico ſolo quaſi accrevit. 4. altas in eo fundo *poſtmodum* egit radices.

5. Ratio

5. Ratio & Occaſio Facti ex Hiſt. altius eruendæ. 6. circa Pontificatum plures ſemper fuere Competitores. 7. Anſa h. plurium Contentionum ac bell. civilium. 8. Pontifex Authoritate Imperatoris Rom. confirmandus. 9. Legem h. quis Imperatorum primus tulerit. 10. è Pontificibus Rom. quis primus abolere ſtuduerit. 11. Henricus IV. jus h. contra Papam tueri conatus. 12. Famoſum inde erga d. Imperatorem Papæ odium. 13. & bellorum civ. ſemina. 14. Deſcriptio Belli illius ap. Hiſtoricos decantatiſſimi inter Henricum IV. Imp. & Rudolphum Suevorum Comitem ejus Antagoniſt. acerrimum. 15. Wratislaus Bohemiæ Dux â cujus partibus tunc temp. ſteterit? 16. Saxonum ſ. Miſnenſium Marchio contrà cui parti adhæſerit? 17. Luſatia ſuperior eo temp. Miſnenſibus ab Imp. adempta & Bohemis tradita. 18. Ratio & Cauſæ hujus mutationis. 19. Miſnenſium ille Marchio cui Luſatia tunc erepta quis fuerit? juxta ſent. Diverſ. plur. Autorum. 20. Zeilero præpr. contradicitur. 21. Et Olomucenſi. 22. Quis Wratislaus ille Bohemus, cui Luſ. data? ex mente & recenſ. plur. & diverſimodè ſentientium Autorum. 23. ab Imp. Henrico IV. factus omnium primus Bohemiæ Rex. 24. Luſatia tunc cum Moravia, Sileſia, & Polonia Bohemico Regno adjecta. 25. an Imperator R. has Provincias Bohemo jure attribuere potuerit? 26. Ratio, fundamentum & occaſio hujus Creationis & Conceſſionis ſecundum mentem & ſententiam plur. Autorum 27. Integer huc apprimè quadrans Locus ex Hagecio transſcriptus. 28. Dreſſeri ſingularis h. de re Opinio. 29. l. Wladislai hujus merita l. publ. Imperii R. Bonum Cauſam hujus Donationis præbuiſſe probatur. 30. quamdiu poſtm. Luſat. ſuperior ſub Bohemorum perſtiterit

 Regi-

